 

193

Sigismundus primus rex Poloniæ, vice regi Neapolitano.

Illustris domine, amice noster dilecte. Fecit nos certiores secretarius et nuntius istic noster nobilis Jodocus Decius, de tuæ illustritatis erga nos, et charissimã matrem nostram dominam Isabellam Mediolani et Bari ducem, propensione et benevolentia. Qua permoti, et quod cum sacratissima cæsarea maiestate, cuius istic vices gerit, coniunctissimi sumus, commisimus eidem nuntio tuam illustritatem visere nostro nomine, et quædam illi vicissim in testimonium favoris et benevolentiæ nostræ erga illam, referre. Proindeque illi fidem adhibere, et nostræ de se expectationi satisfacere velit, valeatque feliciter. Datum 1523.